



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Prophetia Apocalyptica S. Joannis Apostoli**

**Kircher, Heinrich**

**Coloniæ Agrippinæ, 1676**

§. III. Cur ad 7. Ecclesias: & eas quæ in Asia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39100**

Die:

*Dies ecclatios ejus fuit Dominica ; sancta. circiter annum Christi nonagesimum septimum: annis quinque & viginti post Hierosolimam excisam: quadriennio ante suum obitum: biennio antequam scriberet Evangelium.*

Jussu:

*Mandatum accipit: VOCEM MAGNAM, & POST se; quia de*

rebus magnis, & velut à tergo jam imminetibus: TANQUAM TUBÆ, quæ militantium aures merito excitet ac pertrepat: *scribendi hanc Apocalypsin & mittendi septem Ecclesiis quæ sunt in Asia; quas nominatim audit enumerari.*

Ad singulas 7. Ecclesiarum.

## §. III.

*Cur ad 7. Ecclesias: & eas quæ in Asia.*

Universa eruditur Ecclesia.

1. **A**D septem Ecclesias scribitur: eò quòd harum septenario (qui numerus est absolutissimus in S. Scripturis) universa possit ac debeat accipi Ecclesia per totum orbem: ut rectè S. Chrysostomus: S. Augustinus: S. Gregorius. Et generatim loquendo, septenarius numerus multùm est familiaris huic Apocalypsi, sicut & alius Scripturis ac figuris: de quo SS. Patres passim, quòd significet Universitatem. prout S. Gregorius hom. 33. in Euang. *quia enim 7. diebus omne tempus comprehenditur, rectè septenario numero Universitas designatur.* & ante eum Augustinus lib. 17. de Civ. cap. 4. *agnoscentibus, inquit, septenarium numerum, quo st universa Ecclesia significata perfectio. propter quod & Joannes Apostolus ad 7. scribit Ecclesias: eo modo se ostendens ad unius plenitudinem scribere.* In promptu est ratio: Spiritus enim Jesu Christi sic dicat quibusdam Ecclesiis, ut omnibus: Mar. 13. v. 37. *quod autem vobis dico, omnibus dico.*

2. Simul eo numero insinuat, Ecclesiæ universali sanctum assistere Spiritum septem donorum, quem necesse est requiescere super totum Christi corpus, quòd est Ecclesia: ex vaticinio Isaïæ cap. 11. v. 2. & 3. Et quia fieri potest, ut particularis quæcunque Ecclesia alio magis quàm alio abundet horum 7. charismatum, ideò hæc parænesis earum, hæc instructio, hæc revelatio dedicatur ipsis septem.

3. Jam verò quòd eæ nominatim Ecclesiæ enumerantur QUÆ SUNT IN ASIA, & ad illas jubetur scribi mittique: magna prophetandi vis inest huic dedicationi: juxta id quòd innuitur in prolegom. §. 2. totam ab initio Apocalypsin esse prophetiam. Prorsus, sicut Irenæus dixit lib. 4. Adv. hæret. cap. 38. *NIHIL hic vacuum neque sine signo apud eum.* neque enim vacat mysterio planè magno, quòd nominibus suis appellantur singillatim Asia-ticæ: propterea quòd præcipua, quæ prædicantur in Apocalypsi, sumpserint initium

Et admonetur assistentis Spiritus septiformis.

Sed præcipue capitur Asia.

Ubi Apostolus Joannes